



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Colloquium eius cum Christo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

lare iussit. Sub quartam ergo noctis horam, cum capere somnum non posset, Ioannes de Deo differere instituit. Valetudinarij curator pulsu venarum explorato, cum vix micare deprehendisset, ad Ioannem, Nihilne, inquit, tibi Pater Rector iniunxit? nam è re mihi facturus videris, si cras manè sacro te Eucharistię pabulo recreaueris. An vt Viatico? excipit Ioannes: Vt viatico, ait alter; nam parum affulgere spei video. His auditis, Ioannes tamquam iucundissimis acceptis nuntijs recreatus, Curatoris se collo circumplicat, stringitque complexu, significans quanto animi gaudio perfunderetur. Contrà commotus Administrator, in tantam se demisit tristitiam, vt erumpētibus idemtidem singultibus, vocem in verba formare non posset. Ioannes verò animum illi erigebat solando, hortandoque, non patienter modò, sed alacriter ferret: & Quin, inquit, læti nos comparamus; certè iucundio rem nuntium, maioremque lætitiã numquam mihi poteras attulisse. Tum Christi crucifixi simulachrum petitem vbi manibus tenuit, sic affari cœpit: Domine, tu scis, te esse vnicum vniuersumque bonum meum quod in hac vitã possedi, possideoque adhuc; sed, ô Domine Iesu, ne me nunc desere. His similibusque cum Deo colloquijs, ardentibus sanè, tempus extraxit, quibus audiendis

*Aegrorum  
Curator de  
Viatico eũ  
admonet.*

*Lætitiã  
Ioannis au-  
dito mortis  
nuntio.*

*Colloquũ  
cum Chri-  
sto.*

diendis Valetudinarius in lacrymas scilicet amplius liquecebat, sed sumptâ tandem fiducia, flagitans, uti Deum pro se in cælo oraret, extorsit promissum. Admonitus Ioannes tanto illo affectuum impetu vires fortè nimium fatigatum iri, rogatusque ut ijs aliquantum temperaret, At intelligas velim, mi frater, inquit, animum mihi colloquijs istis admodum refici ac subleuari. Moxque ei scribere iusso, hæc verba dictavit:

*Schedium  
à Ioanne  
dictatum.*

Veniam oro dulcissimum Patrem meum Generalem, doleoque extitisse me tam indignum Societate filium. Gratias insuper habeo dulcissimæ matri meæ Societati Iesu, ob maxima mihi indignissimo collata beneficia. Gratias ago P. Rectori, Præceptoribus meis P. Francisco Piccolomini, P. Tarquinio Galluzzi, P. Horatio Graffi, pro impenso in me tot laborum officio. Gratias do Patri Ministro Fratribusque valetudinis meæ curatoribus, pro insigni eorum erga me benevolentia. Gratias reddo omnibus qui exigui huius morbi tempore me inuiferunt. Velim calcitam humi sterni, dum sacrâ Synaxi reficiar: actum frequentes optem adesse Fratres meos recentiores collegas. Oro P. Rectorem, ut, cum ego nec cominus nec eminus quemquam complecti possim, vices meas imponat alteri, qui pro me Patres Fratresque meos  
charif-